RUDOLFUS Dei Gracia Romanorum Rex semper Augustus Universis Sacri Romani Imperii fidelibus presentes litteras inspecturis Imperpetuum. Romani moderator Imperii ab observancia legis solutus legum civilium nexibus quia legum conditor non constringitur et tamen legis nature dominium quod ubique et in omnibus principatur necessario profitetur. Huius enim legis imperiosa potestas sic regnat potenter sic in dominii sui potencia exuberat affluenter sic cunctos artat et stringit sic omnes dominii sui iugo laqueat et involvit ut omnis caro et lingua statutis ipsius pareant et mandatis obediant, profiteantur dominium et Imperium recognoscant. Ideoque et nos licet in excellenti specula Regie dignitatis et super leges et iura simus positi legis tamen nature preceptis et Imperio caput nostrum sincere submittimus et eidem fidelitatis debitum exsolvere cupientes notum fieri volumus tam presentis temporis quam future posteritatis Imperii Romani fidelibus quod inter multa liberalitatis immense beneficia quibus a sublimationis nostre primordio plerosque fideles Imperii prevenimus ad instinctum, immo pocius Imperium et preceptum eiusdem legis nature circa magnificenciam status prolis nostre et sublimationem ipsius studia nostra convertimus. Ac de libero et expresso consensu Imperii principum ius in electione Regis Romani ex longa consuetudine tenencium principatus sive ducatus Austrie Styrie Carniole et Marchie cum universis suis honoribus iuribus libertatibus et pertinenciis sicut eos clare memorie Liupoldus et Fridricus Duces Austrie et Styrie tenuerunt ac possederunt et aliis que in terris eisdem quondam Otacharus Rex Boemie quocumque legitimo titulo conquisierat Illustribus Alberto et Rudolfo filiis nostris karissimis apud Augustam sollempniter cum vexillis et sollempnitate debita concessimus in feodum ac principum Imperii numero consorcio et collegio aggregantes eosdem et ipsis ius principum concedentes ab eis pro principatibus memoratis fidelitatis et homagii recepimus iuramentum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre concessionis graciam infringere vel eidem in aliquo ausu temerario contraire. Quod qui facere presumpserit gravem nostre maiestatis offensam se noverit incurrisse. In cuius rei testimonium et perpetui roboris firmitatem presentes litteras inde conscribi et Bulla aurea typario Regie maiestatis impressa iussimus communiri. Testes sunt hii. Venerabiles. Chunradus Argentinensis. Hartmannus Augustensis. Heinricus Ratisponensis et Wernhardus Secowensis Episcopi. Illustres. Ludewicus comes Palatinus Reni Dux Bawarie principes nostri. Chunradus Dux de Tekk. Hermannus Marchio de Baden. Heinricus Marchio de Burgow. et Heinricus Marchio de Hahperch. Et spectabiles viri. Albertus et Burchardus fratres de Hohenberch. Heinricus. Fridericus et Egeno de Wirtenberch. Eberhardus de Habspurch. Ludewicus de Otingen.



de Vlugelow. Meinhardus Tirolensis. et Guntherus de Swartzenburch comites. Item nobilis vir Fridericus Burchgravius de Nurenberch. Wernhardus de Schowenberch. Liutoldus de Chunring. Fridericus dapifer de Lengebach. Ulricus de Capella. Erchengerus de Landeser. Heroldus et Liutoldus fratres de Stadekke et quamplures alii. Signum domini Rudolfi Regis Romanorum invictissimi.

Datum in Augusta per manum Magistri Gotfridi prepositi Pataviensis nostri prothonotarii VI. kalendas Januarii Indictione XI. Anno domini Millesimo. Ducentesimo. Octogesimo secundo. Regni vero nostri Anno Decimo.

Die Belehnungs-Urkunde vom Jahre 1282.